



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Nostra sententia rationibus probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

gracē ethica dicitur, in qua de moribus agitur, tertia rationalis, qua græco vocabulo logica appellatur, in qua disputatur, quemadmodum in rerum causis vel vitæ morib. veritas ipsa queratur, secce sicut natura subiectum physica & morum rectitudo ethica; ita etiam veritas iuxta Isidorum dialectica subiicitur, & eius est obiectum attributionis. Consonat Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum; dicitur Dialectica, quæ ea quidem qua dicuntur de veritate confirmat per demonstrationem, eas autem, quæ inferuntur dissolvit dubitationes: Quibus verbis veritas adstruitur finis dialectica; eiusque subiectum, demonstratio vero solum medium ad eius firmam assecutionem. Eodem etiam lib. sic ait est enim dialectica veluti vallus quidam, ne veritas concutatur à sophistis. Haud etiam parum abest Gregorius Nyssenus disp. de anima, & resurrectione; Patet enim omnibus ac liquet, quod dialectica curiosa subtilitas, pares in utramque partem vires habeat, vel ad eversionem veritatis, vel ad mendacium indicandum. Vbi ut dialecticæ finis statuitur eversio veritatis, ea si abutimur, ita è contrario mendacii discretio, ac veritas ei opposita dicitur eius finis, si regulis illius recte utamur.

Accedit Hugo Victorinus lib. 1. didascalice eruditionis in hæc verba, cum veteres multis sæpe lapsi erroribus, falsa quadam & sibi contraria in disputatione colligerent, atque id fieri impossibile videretur, ut de eadem re contraria conclusione facta utraque essent vera, quæ sibi discutiens ratio concludisset, cui ve ratiocinationi credi oportere esset ambigui, visum est prius disputationis ipsius veram atque integram considerare naturam, quæ cognita, tum illud quoque quod per disputationem inueniretur, an vere esset comprehensum, posset intelligi. Hinc igitur profecta logica peritia, quæ disputandi modos atque ipsas ratiocinationes internoscendi vias parat, ut quæ ratio nunc quidem vera, nunc autem falsa posset agnoscere. Vbi veritas designatur totius dialecticæ finis, in quem etiam ipsa ratiocinatio, & reliqua eius obiecta referuntur. Præterea idem sentit auctor libri de spiritu & anima, siue fuit Hugo Victorinus, siue quicumque alius cap. 37. Ratio vis est anima supra corporalia, & infra spiritualia collocata; secernit enim vera à falsis, quod est logica; virtutes à vitijs, quod est ethica; & per experimenta rerum inuestigat naturas, quod est Physica: In his vero tribus tota philosophia consistit. Quæ cum ita sint tam erit subiectum logicæ veritas, quam virtus ethica, & ens naturale Physicæ subiiciuntur: consentit Richardus Victorinus de exceptionibus cap. 5. Nonissima autem omnium inuenta est logica causa eloquentiæ: ut sapientes quippe dictas principales disciplinas inuestigarent, & inuenirent rectius, veracius, honestius, illas tractare & de illis differere scirent, rectius per grammaticam, veracius per dialecticam, honestius per rhetoricam; logica namque facundia rectitudinē, veritatem, venustatem administrat. Quib. verbis innuitur veritatem esse finem & obiectum attributionis dialecticæ, quemadmodum grammaticæ finis & obiectum attributionis est rectitudo orationis, & rhetoricæ, illius venustas siue honestas: Hic etiam pendet, quatenus non tantum logica latissime sumpta dicitur habere pro obiecto voces, sed etiam stricte usurpata & prout est dialectica, hæc enim iuxta Richardum Victorinum considerat facundia & vocum nostrarum veritatem: quamobrem nihil hoc ex loco opponi potest, aduersus ea quæ supra ex hoc auctore adduximus, cum de vocibus sermo nobis esset, & quod ad dialecticam attinerent pro virili tueremur. Sed ut eò vnde digressi fuimus reuertamur, dialecticæ nostræ subiectum finemque esse veritatem in-

nuat idem Richardus in lib. de exceptionibus 22. sic inquit: dialectica est disputatio verum à falso distinguens. Ita etiam sentit Cassiod. in præfat. de disciplinis; dicendum est tertio de logica, quæ dialectica nuncupatur; Hæc quantum magistri seculares dicunt, disputationibus subtilibus ac breuibus vera sequestrat a falsis. Consonat Anselmus infra citandus & plures alij Patres, quos esset longum referre.

CAPVT II.

Nostre sententia rationibus probatur.

Vidimus quatenus nostra sententia non omnino destituta sit eo præsidio, quod ab autoritate peti consuevit: reliquum est ut rationum momentis eam firmemus. Prima autem ratio nostra est hæc: obiectum attributionis scientiæ nihil aliud est quam eius finis intrinsecus, videlicet quem ea per actus proprios intrinsece attingit: at sola veritas totius dialecticæ est finis intrinsecus: sola igitur est obiectum attributionis dialecticæ. Maior negari nequit: licet enim finis extrinsecus scientiæ eius obiectum attributionis non sit, eo quod quisque quemcumque finem extrinsecum velit sibi præfigere possit, atque in diuitias vel honorem vel voluptatem curas & cogitationes suas intendere, ac discendi laborem subire; ceterum obiectum attributionis scientiæ ab eius intrinseco fine indistinctum est: neque video quo pacto oppositum cum principiis ab omnibus receptis cohæreat, uti in loco superius manet explicatum. Minor probatur quoad primam eius partem; quoniam dialectica est instituta ad præcauendos errores, ut ex capite præcedenti omniumque consensu liquet; eiusque rei signum euidentius est, quod, si reliquæ scientiæ sine errore comparari possent, nulla dialecticæ necessitas, nulla esset utilitas: Atqui non præcauetur error nisi per veritatem: dialectica ergo ad veritatem tanquam ad finem destinatur. Rursus logica regulas præscribit, quibus quis veritatem in quauis materia assequi, si velit, possit: eius igitur finis veritas est, non aliter ac finis cuiusvis artis practica est id cuius ad executionem regulas præbet v. g. artis pingendi pictura, ædificandi ædificium, loquendi recta vel elegans locutio, &c. Probata priori minoris parte, quæ assererat veritatem esse finem dialecticæ, haud minus facile probari potest posterior eius pars asserens insuper, veritatem non finem extrinsecum sed intrinsecum huius facultatis esse; Quidni vero dialectica enim per actus sibi proprios & cognatos disputat, quid & quotuplex sit veritas, an intrinseca actui vel extrinseca sit, an ei in diuersis instantibus adesse & abesse possit, an vna quam alia intensiue vel extensiue maior sit, quatenus propositiones veritate æquipollean & opponantur; & alia similia, quorum census superuacaneus: veritas igitur est finis dialecticæ, non qualiscunque, sed intrinsecus, id est quem ea per plures actus intrinsece attingit. Quod si quis plura horum à dialectica releget, & scientiæ animasticæ vel alterius facultatis propria esse contendat, is in primis contraria consuetudine his satis recepta temporibus redargui potest. Rursus obiciendum ei, præter dignitatem dialecticæ esse, ad veritatem cæco quodam conatu ferri atque ad eius assecutionem dirigere, quin tamen id quod assequendum sit, eiusve naturam ant conditionem dignoscat. Vterius illud negari nequit, dialecticam intrinsece attingere veritatem modo practico, docet enim quo pacto definitio quæ est cognitio

tio essentialiter vera, quo diuifio, quo demonstratio, fit executioni mandanda: quod autem non attingat veritatem speculatiue, neque de ea quid sit, qualis sit, quotuplex sit & similia non discutiat, id parum refert; quo enim cunque modo finis totius scientiæ per eam intrinsece attingatur, hoc satis est, vt eius sit obiectum attributionis.

8 Superior ratio trifariam confirmari potest: primo quoniam in aliis scientiis plura sunt quæ nequeunt demonstrari siue euidenter sciri v. g. in scientia de cælo cuius sit natura, composita an simplicis? eiusdem cum sublunari creatura, an diuersa; plura quæ definiri non possunt, defectu vtique generis. v. g. in metaphysica, substantia, aut accidens, aut certe ipsum ens: plura itidem quæ diuidi non sustinent, propter id quod eorum differentia, sine quibus nulla sit diuifio, nos latent: Ceterum in scientiis earumque materia, quantæ quantæ sit latitudinis, nihil est quod non possit verè cognosci, aliàs frustra de eo esset instituta scientia; igitur dialectica habet pro fine, & obiecto attributionis, non demonstrationem, non definitionem, non diuisionem, non rationem illis solis communem, aliamuè quamuis particularem omnino ab illis distinctam, sed veritatem actuum intellectus in communi; is etenim debet esse finis scientiæ, à cuius executione, si ea practica sit, & assecutione; si speculatiua sit, reprehendi ac detineri non potest, vt facultatum omnium sufficienti enumeratione constabit; dialectica autem sæpe demonstrare non potest, interdum non definire, nonnunquam non diuidere, nunquam tamen per se loquendo à veritate seu obiectiua assequenda, seu formali exequenda impediri potest; solam igitur veritatem, finem ac subiectum sibi præstituit; quemadmodum enim finis hominis is constitui non debet, ad quem homo nullatenus peruenire potest, sic dialecticæ finis esse nequit, quem illa multoties adipisci non valet. Confirmatur secundo: Tamen si quis artificium demonstrationis, definitionis, diuisionis, aut aliud quidpiam destinatè ignoraret, adhuc is dialecticis præceptis iuuari posset, vt alias scientias quodammodo compararet; siquidem regula illa tradita solita de suppositione terminorum, de eorum ampliatione, restrictione, diminutione, alienatione, appellatione, neque non de propositionum conuersione, oppositione, & æquipollentia, aliaque similes, eò quidem valerent, vt multa vere assereret, vt falsam propositionem vitaret, & pro vera non assumeret, vt per veram aliquam propositionem, hominem esse animal, per aliam esse risibilem aut admiratiuum, per aliam rationalem, per aliam, quæ descriptio sit, esse animal risibile affirmaret; dialectica igitur non ordinatur præcise ad hoc vt quis demonstret, definiat, &c. sed ad hoc vt veritatem quomodolibet assequatur. Confirmatur tertio si quis interrogetur, quo fine dialecticam addiscit, ac sermo sit de fine intrinseco, ac proximo scientiæ, & cuius gratia illa est instituta, sanè respondebit, vt quamuis facultatem inoffenso pede ac sine erroris scandalo decurrere, atque in eius materia veritatem nancisci queat; obiectum igitur attributionis dialecticæ est non demonstratio, nec definitio aut diuifio, sed veritas cognitionis aut cognitio veritatis, qualis illa cunque sit.

9 Alio etiam argumento nostra potest opinio probari. Modus sciendi, siue quod in idem recidit, ars sciendi habet pro fine intrinseco siue obiecto attributionis hoc quod est scire, sicut ars fransfactoria hoc quod est fransfacere, & ars eloquendi, hoc quod est eloqui siue disertè fari: Dialectica autem est

modus sciendi siue ars sciendi, vt docet Aristoteles lib. 2. metaph. c. 3. & P. Fonseca ibid. q. 1. sect. 1. & Conimb. t. 1. log. q. 3. proœm. a. 3. parum ab initio, atque vt ipsi cum Fonseca referunt, B. Thomas, & reliqui penè authores præsertim antiqui: Habet igitur dialectica pro fine intrinseco & obiecto attributionis scientiam cuius est ars & modus; neque nisi immerito ac valde singulariter id negat P. Theophilus Rainaudus in Prologo disciplinae § 2. n. 11. initio. Quibus positus sic arguo; Dialectica cum sit ars, modusque sciendi non alium habet finem intrinsecum, atque obiectum attributionis quam scientiam; tunc autem res sciri absolute & communiter dicitur, cum verè cognoscitur: quod enim assertiue, ac verè non cognoscitur, aut falso cognoscitur; id potius nesciri, quam sciri dicitur; dialectica igitur veritatem formalem velut finem, & obiectum attributionis intuetur. Et quidem ex dictis constat scientiam, cui modus sciendi præuius est esse cognitionem veram, siue demonstratiuam, aliove modo euidentem, siue omnino ineuidentem, siue immediatam, & primam, siue mediatam, & ex alia anteriore illatam: atqui dicitur modus sciendi contemplatione scientiæ, cui tanquam præuia dispositio præluet. Simili argumento probauit Fabius lib. 2. cap. 15. bene dicere esse finem intrinsecum, & proprium rhetoricæ; eiusque obiectum attributionis. *His approbatis simul manifestum est illud quoque, quem finem, vel quod summum, & ultimum habeat rhetorica, quod rex dicitur, ad quod omnis ars tendit: Nam si est ipsa bene dicendi scientia, finis eius, & summum est bene dicere.*

10 Aliter etiam nostra sententia probari potest. Quemadmodum se habet philosophia moralis ad actus voluntatis, ita dialectica ad actus intellectus; at philosophia moralis finis, & obiectum attributionis est bonitas moralis actuum voluntatis, & eorum conformitas cum dictamine rectæ rationis vt cum Aristotele 1. ethic. noster Theophilus vbi supra num. 13. & antecedentibus, ac reliqui communiter docent; obiectum igitur attributionis dialecticæ est veritas actuum intellectus, & eorū conformitas cum obiecto suo. Maior est perpiciua, quoniam sicut philosophia moralis ad ordinandam, & ornandam voluntatem, ita dialectica ad perfectionem, & ornamentum intellectus Dei munere hominibus tradita est. Confirmatur; ex eo quod philosophia moralis circa ens reale versetur, & ex eo quod practica sit, recte infertur dialecticam circa ens reale esse, & practicam esse, vt ex nostris non pauci contra Thomistas argumentantur: ergo ex eo quod scientiæ moralis obiectum attributionis sit bonitas actuum voluntatis, non minus recte infertur obiectum attributionis dialecticæ esse veritatem, qua actus intellectus obiectis conformantur. Et sane, qua ratione obiectum attributionis dialecticæ ab aduersariis censetur demonstratio, aut definitio, &c. eadem ratione obiectum attributionis scientiæ moralis censendum esset, non bonitas actuum voluntatis in communi, sed bonitas propria intentionis, aut electionis, aut prudentiæ aut iustitiæ, aliaue quæuis in particulari.

11 Alia quoque paritate, nostra de obiecto attributionis dialecticæ opinio suadetur. Quemadmodum grammatica voces sibi vindicat, ita dialectica actus intellectus, vt fatentur omnes. At grammatica sic est vocalis, vt non hæc aut illa constructio vocum, sed in communi congrua & sibi coherens Syntaxis & dispositio vocum sit eius finis, atque obiectum attributionis: logica ergo ita rationalis est, vt non hæc aut illa veritas in particulari, videlicet defini

definitio aut demonstratio aliave quacunque, sed veritas in communi sit eius finis & obiectum attributionis, ad quod tota refertur.

12

Declaratur. Sicut grammatica ordinatur velut ad finem & obiectum attributionis ad rectitudinem locutionis externae, sic similiter dialectica ad rectitudinem locutionis internae seu cognitionis, sed praecipua rectitudo cognitionis est eius veritas: logica igitur ad veritatem cognitionis & internae locutionis velut ad obiectum attributionis refertur. Minor est Anselmi dialogo de veritate cap. 1. ubi de cognitione loquens sic ait, *idem igitur est illi & rectam & veram esse, & significare quod est*: & paulo infra ergo non est aliud veritas quam rectitudo; quod toto illo capite repetit. Rursus eodem dialogo de veritate cap. 3. sic ait; *quapropter qui putat esse quod est, putat quod debet, atque ideo recta est cogitatio, si igitur vera & recta cogitatio non ob aliud quam quia puramus esse quod est, aut non esse quod non est, non est aliud eius veritas quam rectitudo*. Item cap. 9. eiusdem dial. vocat *veritatem rectitudinem sola mente percipibilem*. Præterea in monol. cap. 14. sic ait. *Constat quia in quacunque re sit veritas, non est aliud quam rectitudo*: definiente etiam eodem cap. utramque confundit: quo autem iure hæc ab Anselmo dicantur, ecquis non videat: siquidem veritas in conformitate actus cum obiecto sita est: omnis autem conformitas est rectitudo quadam.

CAPUT III.

Rationes contrariae solutae.

13

QVarum prima sit; finis logicæ proprius & intrinsecus est tradere instrumenta ad alias scientias ac veritates eis contentas comparandas, ut præter alios late explicat P. Fonseca lib. 2. metaph. c. 3. quæst. 1. rect. 2. at instrumentum ad scientiam seu veritatem aliquam comparandam à veritate ipsa distinguitur, sicut instrumenta ad navem fabricandam distincta sunt ab ipsa navi; finis igitur dialecticæ non est veritas, quæ in aliis scientiis elucet; finis inquam proximus, quod subiectum nuncupatur.

14

Pro solutione noto primo, logicam aliam esse actualem, aliam habitualement, hæc, habitus dialecticos, illa actus complectitur. Noto secundò, finem alium esse proximum & immediatum, alium remotum & mediatum; finis proximus scientiæ actualis quem illa considerat & cui attribuitur, est finis remotus scientiæ habitualis, atque cum eadem restrictione dici potest eius subiectum siue obiectum attributionis: finis autem proximus scientiæ habitualis non est obiectum aliquod, sed scientia actualis quam producit, aut ad quam inclinatur. Quibus animaduersis, si de logica habituali & eius fine proximo sermo sit, non habet finem obiectuum, sed dumtaxat effectuum, hoc est non habet finem per modum obiecti cogniti, sed per modum effectus producti; proinde licet instrumenta ad veritatem comparandam, actualesque regulæ & cognitiones dialecticæ sint eius finis proximus, non propterea erunt eius obiectum attributionis; hoc enim cum fine obiectiuo recurrit, atque idem prorsus est; Sin autem de eius fine remoto sermo sit, ita quidem eius finis non est ea traditio instrumentorum, sed veritas quam mediis suis actibus considerat; atque adeo hæc erit eius obiectum attributionis. Quod si de logica actuali loquamur, eius finis non est, tradere instrumenta & regulas sciendi, sed est illa ipsa traditio per

R.P. Lyncei Philosophia. Tom. I.

summam identitatem; siquidem Aristoteles prope medium capitis præcedentis citatus cum reliquis eam expresse vocat modum siue instrumentum sciendi: unde reliquum est, ut ipsa veritas ad quam instruit intellectum sit eius finis, & obiectum cui attribuitur. Hinc conciliari facile possunt, dissentientes primo aspectu philosophorum sententiae: omnes enim docent logicam esse modum siue instrumentum sciendi, ut ex Fonseca & Conimbr. capite præcedenti vidimus: omnes itidem docent instrumentum modumque sciendi esse finem logicæ, ut Fonseca paulò supra laudatus & Conimbr. tom. 1. logic. quæst. 5. proccm. art. 3. rat. 2. perhibent: hæc autem duo repugnare inuicem videntur: qui enim fieri potest, ut logica sit instrumentum sciendi, atque hoc simul sit eius finis, neque id quod est finis, & ad quod est finis mutuo distinguantur: verum optimè inter se coherent illa duo, si res paulò attentius inspicatur, atque vtriusque logicæ tradita distinctio consideretur: namque logica actualis est instrumentum sciendi, eius autem finis non est id ipsum instrumentum sciendi, sed sola veritas quam practicè respicit: logica verò habitualis non est instrumentum nec formalis regula sciendi, sed eius principium, adeoque eiuscemodi normam sciendi finem habet: quo fit, ut Philosophi sibi non repugnent, neque finem & quod est ad finem viciam confundant.

Secunda aduersus nostram sententiam ratio. Obiectum attributionis dialecticæ est obiectuum exemplar vtile ad alias scientias comparandas, quale v.g. est definitionem constare genere & differentia, ut huius intuitu Philosophus hominem animal rationale definiat, aut demonstrationem barbaricam constare 3. vniuersalibus affirmatiuis, ut ex hominis rationalitate eius risibilitatem in Barbara concludat, aliaque similia. At veritas in communi non est obiectuum exemplar vtile ad alias scientias comparandas; quis enim vnquam essentiam actus veri sibi proposuit, ut in aliis scientiis actus veros ad eam normam efficiat, & non potius aliis est vsus regulis & adminiculis? Veritas igitur ut sic non est obiectum attributionis dialecticæ.

Ceterum Recentiores, qui hoc argumento aliorum sententias impetunt, & nostram si paulò esset communior his temporibus, haud dubiè impeterent, ad homines, ut aiunt, expugnari possunt. Nam modus sciendi in communi est iuxta ipsos obiectum attributionis dialecticæ, & tamen non est exemplar obiectuum vtile ad alias scientias: ecquis enim sibi ob oculos mentis posuit, modum sciendi esse orationem ignoti manifestatiuam, ut huius exemplaris intuitu in aliis scientiis ignotum manifestaret: sicut intuens, definitionem constare genere & differentia hominem animal rationale definit, quisquis scientiam de homine aggreditur. Ad hæc vniuersum falsum est, finem & obiectum attributionis artis practicæ, esse exemplar obiectuum vtile ad artefactum efficiendum, & non magis ipsam praxim, & opus ad quod regulas præscribit: siquidem ars pingendi non habet pro fine hominem verum, quem velut exemplar sibi imitandum proponit, sed potius hominem pictum, ad cuius imaginationem regulas tradit; ut ut ergo veritas actuum intellectus non sit vllatenus exemplar obiectuum vtile ad alias scientias, & hoc quod falsum esse mox constabit, permittatur tamen; ea nihilominus erit obiectum attributionis diarecticæ, utpote quæ ad illam exequendam & assequendam regulas ac præcepta exhibet.

Præterea veritas actuum intellectus bifarium accipi

15

16

17